



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

Epist. CXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

Turpe est, beatam vitam in auro & argento reponere: equè turpe est in aquâ & polentâ. A Quid ergo faciam, si ista non fuerint? Quæris, quod sit remedium inopiæ? <sup>21</sup> famem fames finit. Alioqui quid interest, magna sint, an exigua, quæ seruire te cogunt? quid refert quantum sit, quod tibi possit negare fortuna? Hæc ipsa aqua & polenta in alienum arbitrium cadit: liber est autem, non in quem parum licet fortunæ, sed in quem nihil. Ita est: nihil desideres oportet, si vis Iouem prouocare, nihil desiderantem. Hæc nobis Attalus dixit: natura omnibus edixit. Quæ si voles frequenter cogitare, id ages, vt sis felix, non vt videaris: & vt tibi videaris, non aliis.

## EPIST. CXI.

CAVILLOS, vanam & humilem philosophiam esse: veram illam de moribus, firmam, B altam. Huc eundem.

QVID vocentur Latinè sophismata, quæ sisti à me. Multi tentauerunt illis nomen imponere, nullum hæsit: videlicet quia res ipsa non recipiebatur à nobis, nec in vsu erat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero vsus est: <sup>1</sup> Cauillationes vocat. quibus quisquis se tradidit, quæstiunculas quidem vafra neclit: ceterum ad vitam nihil proficit, neque fortior fit, neque temperantior, neque elatior. At ille qui philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiducia, inexuperabilis, & maior adeunti. Quod in magnis euenit montibus, quorum proceritas minus apparet longè intuentibus; cum accesseris, tunc manifestum fit, quam in arduo summa sint: talis est, mi Lucili, verus & rebus, non artificijs, philosophus. In edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis veræ. Non exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more qui mendacio staturam adiuuant, longioresque quam sunt, videri volunt: contentus est magnitudine suâ. Quid ni contentus sit eousque creuisse, quò manum fortuna non porrigit? ergo & supra humana est. Par sibi in omni statu rerum, siue secundo cursu vita procedit, siue fluctuat per aduersa ac difficilia. Hanc constantiam cauillationes istæ, de quibus paullò antè loquebar, præstare non possunt. Ludit istis animus, non proficit: & philosophiam à fastigio deducit in planum. Nec te prohibuerim aliquando ista agere, sed tunc cum voles nihil agere. Hoc tamen habent in se pessimum, dulcedinem quandam sui faciunt, & animum specie subtilitatis inductum tenent, ac remorantur: cum tanta rerum moles vacet, cum vix tota vita sufficiat, vt hoc vnum discas, vitam contemnere. Quid regere? inquis. secundum opus est. Nam nemo illam benè rexit, nisi qui contempserat.

Gargettius exclamat dicens: Cui parum non sufficit, ei nihil sufficit. Additque, Paratum se cum Ioue de felicitate certare, si polentam habeat & aquam. Clemens Alexandrinus adspexit libro 11. Strom. *Ἐπίκουρος ἐν τῷ μὴ περιττῆν, μὴ δὲ δρῆν, κἄντις μὴ οὐκ τὴν εὐδαιμονίαν τιθεὶς ἄριστον, τὴν ἰσότητος ἐπιφωτισμένην, ἀσεβῶς εἰπῶν, ἐν ταύτοις κἄν Διὶ πατρὶ μάχης:* Epicurus in non famendo, non fictiendo, non fingendo felicitatem ponens, vocem

illam Deo æqualem emisit, impiè dicens, In istis se vel cum Ioue certaturum. Adde Aelianum Var. Hist. iv. cap. XIII. nostrum Senecam epist. xxv.

21. FAMEM FAMES FINIT.] Nam mors superuenit.

EPIST. CXI. I. CAVILLATIONES VOCAT.] Vox quidem in Cicerone, sed vix pro isto sensu: magis pro diæteris, & argutijs. Potest in alijs libris, qui fuerunt.

EPIST.